



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Capvt VIII. Qua ratione occurrendu[m] defectibus Missæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

rit immixtis, siue annexis, hic subscibam.

§ I. Quid fiet, quando Sacerdos deficit, dum Sacrificat.

1. Oportet primò S. Thomas, Quando inter celebrandum Sacerdos subito deficit, ita ut non possit ullo modo Sacrificium perficere, si hoc contingat ante Consecrationem panis, Sacrificium relinquendum esse imperfectum: quia cum nondum substantiatum inchoatum sit, nullum in hoc est notabile incommodum; si autem contingat post Consecrationem etiam unius materiae, tunc perficiendum esse per alium Sacerdotem, si quis adsit, etiam si jejunus non sit; etiam si sit in peccato mortali, aut excommunicatus. Hic tamen necessitudo debet prius conteri. Ita communiter Doctores ex Conc. Toletano 7. cap. 1. Ratio est, quia minus incommodum est, Sacerdotem non jejunum, aut post commissum peccatum mortale ante confessionem, contritum communicare, quam Sacrificium relinqui imperfectum.

2. Nota primò cum Soto in 4. d. 13. quasi. 2. §. Perplexior autem, conscius sibi peccati mortalis nullo modo posse hoc Sacrificium perficere, nisi prius, ut dictum est, conteratur, aut saltem probabiliter putet se contritum, alias peccaret mortaliter communicando in statu peccati mortalis. Disputat autem ibidem idem Soto, Vtrum talis Sacerdos, si difficulter potest conteri possit nolle perficere Sacrificium? Respondet affirmativè, quia Concilium tantum dicit liberum esse Sacerdoti inchoatum à deficiente Sacrificium perficere: sed melius Suarez de Sacram. d. 8. §. sec. 1. sub finem, docet, talem teneri conteri, ut Sacrificium possit perficere, quia gravissimum est incommodum contra institutionem Christi, & reverentiam tanti Sacramenti, atque etiam ipsius Sacramenti (praesertim quando Calix est iam consecratus, qui sine irreverentia, & periculo alicujus incommodi saepe in aliud tempus conservari non potest) si Sacrificium relinquatur hoc modo imperfectum. Quare omnes qui sine gravissimo incommodo hoc possunt impedire, ad hoc tenentur. Peccator autem nullum incommodum, sed potius maximum commodum accipit dum compellitur conteri.

3. Nota secundò, non Sacerdotem; in similibus casibus nullo modo posse Sacrificium perficere, quia non habet potestatem sacrificandi. Quare si nullus Sacerdos adsit Sacrificium necessitudo imperfectum relinquendum est, & Sacramentum honestè conservandum, donec possit legitime sumi, si id sine periculo fieri possit. Quod si hoc sine periculo fieri non possit, ut si esset periculum, ne Sacramentum veniret in manus infidelium, aut ne Species ante adventum alicujus Sacerdotis planè corrumpere, tunc Sacramentum etiam à laico sumi deberet, quia hoc ipsius reverentia exigit, Soto tamen in 4. dist. 12. quasi. 2. art. 6. §. Circa hoc putat potius permittendum esse ut Species Calicis omnino accendant, seu corrumpantur, quam ut sumantur à laico. Sed melius Suarez disput. 17. de Sacram. section. 3. in fine, docet laicum tunc debere Sanguinem reverenter sumere, quia quæ in reverentiam hujus Sacramenti sunt instituta, non debent cum ipsius tanta irreverentia servari.

4. Nota tertio, si Sacerdos deficiens non obierit, sed solum infirmus fuerit adeo tamen, ut communionem sumere possit, Sacerdotem, qui Missam supplet, dividere Hostiam debere, & unam partem sibi sumere, aliam in firmo præbere: de qua re nos egimus in Opusculo de ex ped. comm. cap. 6. §. 6. m. 3. 1.

5. Nota quarto secundum Sacerdotem debere incipere inde, ubi primus defecerat, si id sciri potest: quod si non possit, vide apud Suarium disp. 83. de Sacram. sect. 1. §. 5. denique, cum enim raro possit evenire in praxi, ut saltem ex Ministri relatione id non sciatur, non est necesse hac in re pluribus immorari.

N 2 An

par est in omnibus, sed propter respectum humanum, certè ratio in his Sacris Ministeriis habenda nequaquam, est.

6. Petes, unde incipiet Sacerdos, cum in prædictis casibus revertitur ad Sacrificium perficiendum?

Respondeo. Si revertitur in casu factæ consecrationis non incipiet inde ubi defecerat: sed in casu consecrationis non incipiet, sed distinguendum. Nam si magna mora intercesserit, est distinguendum. Nam si magna mora intercesserit, puta plusquam una hora, poterit à principio Sacrificii, puta plusquam una hora, poterit incipere inde, ubi defecerat. Lege Suar. de Sacram. d. 85. sectione 1. Ratio est, quia in parva mora moraliter reputatur continuari eadem Missa: at in longa cum consecratur moraliter pars eadem defuisse, non reputatur continuari eadem Missa; quare cum nulla aliunde inconvenientia appareat, ab initio erit incipiendum. Immo in hoc casu, si Sacerdos nullum obligationem habeat Missam eo die celebrandi poterit illam omnino relinquere; quia si illa pars defuit, non est obligatio addendi compartem.

§. VIII.

SEPTIMA CAUSA.

Adventus Principis, Prælati, Populi.

1. Concedunt aliqui, si superveniat Princeps, vel Prælati, vel processio Populi, vel similes, audientque sint Sacrum, posse Sacerdotem interrompere Missam & iterum incipere; si alius Sacerdos non sit, & celebrans solum progressus fuerit usque ad oblationem exclusivè, non vero si ultra. Ita Navar. Henric. S. S. Soria, quos citat, sequiturque Layman. lib. 5. tract. 5. cap. 7. num. 2. sine. Immo id in praxi observatum esse testatur Navar. ibid. & Henriquez ibid.

2. Mihi quidem hæc concessio non placet, sicuti nec placuit supra lib. 1. c. §. 3. m. 1. quod propter similem adventum posset ab eodem bis eodem die celebrari. Ratio est, quia ejusmodi adventus non affert tantam necessitatem, quæ superare possit irreverentiam interruptionis Missæ, quandoquidem illi cum non suppetat alia Missa ad integram audiendam non obligentur: Maxime ergo laudandum est Decretum Mediolanense, apud Gavant. in man. Episc. v. Missæ ritus num. 15. in quo absolute caveretur, ne quis Missam semel inchoatam repetat: Id quod praxim à Navarro allatam, nec solido fundamento nixam, merito corrigi.

§. IX.

OCTAVA CAUSA.

Concio, Ordinatio, Communio Populi, Publicatio Edictorum.

1. Hæc exerceri posse juxta Rubricas, & consuetudines, dum Missa Sacrificium peragitur, atque adeo per illa interrupti nite posse Sacrum, explicatione non indiget.

CAPUT VIII.

Qua ratione occurrendum defectibus in Missa occurrentibus.

1. Deo latè à Doctoribus, immò, & à Rubricis Missalis, de hoc argumento, disseritur, ut actum agere non debeam: ad memoriam ergo solum reficiendum, & ne in quibusdam necessariis Lectorum meum alio abire compellam, doctrinam de hac re S. Thom. 3. p. 2. q. 18. ar. 6. ab Agidio Coninch. de Euch. 83. art. 6. compendiosè allatam cum nonnullis nihilominus notis, seu additionibus nostris, ubi opus fuerit.

Part II.

An perfici sequenti die prædictum Sacrificium possit.

Vbi,

Vindictur Emanuel Sà

6. Sed quæramus, quid fiet si nullus adsit, qui Missam perficere eodem die possit, adsit tamen, qui à loco distant vocatus die sequenti possit? Emanuel Sà in genuina impressione v. Missa n. 38. sic de hac re dissertit, Quod si desit, qui Missam perficiat, sequenti die perficiatur aut sumatur ab alio Sacerdote, in alia Missa, Sà Sacramentum. Non placuit hoc dictum ei, qui illum expurgavit, quare sic reposuit Quod si desit, qui perficiat, sequenti die sumatur ab alio in alia Missa Sacramentum. Citaturque Suarium, D. Thomam, Azorium, Sotum, & Toletum. Hinc ergo oritur quæstio, An opinio genuina authoris dicentis posse perfici die sequenti prædictam imperfectam Missam, sit probabilis, ac propterea immerito expuncta?

7. Certè non video, cur possit eodem die perfici, ut omnes concedimus, immo injungimus, etiam post sex, vel septem horas, ut contingeret, si defectus occurreret summo mane, & Sacerdos suppleturus inveniretur circa meridiem; non possit autem die immediatè sequenti, illa enim mora in tali defectu non debet judicari longa, ita ut continuari eadem Missa non possit die sequenti. Sicut enim die Veneris Sancti consumptio tunc exhibita continuat Missam diei præcedentis, nam propterea dicitur complementum Sacrificij præteriti: ita in calu nostro, &c.

Dixi (possit) nam cum ex alia parte negandum non sit, eam esse aliquam notabilem moram, ideo rectè concedimus posse etiam sumi illud Sacramentum eodem die juxta dicta n. 3, vel alio die Missa, ut hic notamus, & sapienter docuit Sà, dum sub disjunctione dixit, sequenti die perficiatur, vel sumatur.

8. Neque obstant illi Doctores in expurgato citati, ij enim præter Sotum, cum non disputent, an die sequenti perfici possit dicta Missa, sed solum absolute doceant illum posse, deficiente Sacerdote, Sacramentum: non sunt contra nos, sed solum sunt dicendi de nostra sententia mentionem non fecisse. Sotus vero in 4. dist. 13. q. 2. art. 6. §. Circa hoc sine, si rectè intelligatur, pro nobis est.

An perfici prædictum Sacrum ab excommunicato, Suspendo, vel Irregulari possit?

Vbi,

Non Approbatur Emanuel Sà.

1. Quæramus secundo, An si non adsit alius Sacerdos nisi Excommunicatus, vel Suspendus, vel Irregularis, possit hic, & juxta dicta debeat supplere prædictum Sacrificium.

De excommunicato S. Thomas 3. p. q. 83. art. 6. ad secundum, j. non posse pronunciare modo n. 2. De Suspendo & irregulari, non meminit; cum tamen id excommunicato concesserit, illis etiam propter patetatem rationis concessisse certum videtur. Sà verò tum in genuina, tum in expurgata editione, v. Missa n. 83. sic habet. Tale Sacrificium imperfectum perficere potest, & secundum quod debet alius, etiam non jejunus, si desit jejunus, non autem excommunicatus, aut suspendus, aut Irregularis. Victorius ad eundem Sà expurgatum illud addit Immo si solus adsit Sacerdos excommunicatus, aut irregularis, & ex Sacra omissione secuturum sit grave aliorum scandalum, perficere potest: alias non Azor ex Soto. Hæc ille.

10. Dico absolute, etiam nullo instante scandalo, Excommunicatum, Suspendum, Irregularem, si alius aptus Sacerdos non adsit cum debita cordis contritione, posse.

Ratio est, quia Sacrificium relinqui imperfectum essentialia, fuit semper æstimata res gravissima, omnibus modis sit succurrendum, talique impeditur in eo, quod præceptum de integritate interpretantur esse, divinum à Christo Domino latum, & sa Ecclesia per censuras non videtur derogare immo potuisse. Ita S. Thom. 3. q. 83. art. 6. ad primum aliquem passim.

11. Confirmatur primo, quia omnes cum S. Thoma concedunt Sacerdotem, si post consecrationem recordetur se esse excommunicatum suspensum, irregularem, debere Missam absolvi, ut non eximus, idque propter perfectionem Sacrificij præsciendando ab omni alia causa: at idem prædictum calu nostro.

12. Confirmatur secundo, quia non est in Ecclesia, ut Sacerdos per prædictas censuras, & sterio Sacramentorum exclusus, ad illud in modis admittatur. Sic Sacerdos excommunicatus, immo Irregularis, immo Degradatus, & privetur ab Ecclesia jurisdictione, tamen potest administrare Sacramentum Pœnitentiæ existenti in articulo mortis, quando alius idoneus Confessor non adsit. Ita S. Sayr. Alterius, Suar. alique apud Bonac. de excommunicato. 2. p. 2. §. 4. n. 3. & disp. 1. de cens. 3. p. 3. Sic in simili necessitate potest baptismum conferre. Suar. Laym. apud Bonac. loco. cit. de excommunicato. 2. p. 2. in simili Eucharistiam infirmo porrigere. Ita ibid. num. 8. Si ergo ab his non excludatur excommunicatus, quia non est credibile Ecclesiam velle in articulo mortis necessitate prohibere Sacerdotem, ita nec debet in tanta necessitate cultus in calu nostro Sacrificij.

§. II. Quando Sacerdos meminit in Missa se esse in peccato mortali, non jejunum, excommunicatum, &c.

1. Docet secundo S. Thomas, Quando Sacerdos post consecrationem recordatur se non esse jejunum, aut esse in peccato mortali, aut excommunicatum, &c. debere, concepta contritione, Sacrificium perficere. Quando verò horum recordatur ante consecrationem, ait S. Thomas, tutius esse, Coninch vult esse necessarium si nondum inchoavit Canonem, & stare à Sacrificio, si id possit fieri sine scandalo, & diffamatione. Quod si Canon esset inceperat, quod facit indecens est relinquere Sacrificium, videtur tamen su posse ipsum, concepta contritione, perficere, quod in hoc saltem casu est vera sententia S. Thomæ, quantum sit tutius desistere: quo satis infirmatur non de præceptum, Sotus autem in 4. dist. 13. quest. 2. art. 1. Secundo arguitur, docet celebrantem, qui etiam in articulo Missæ recordatur se esse in peccato mortali, & non jejunum, & nulla censura prohibitus, posse, concepta contritione, pergere, etiam si sine scandalo possit desistere, quod videtur etiam innuere S. Thomas quia esse tutius desistere, maxime in casu, quo quis est excommunicatus, aut non jejunus. Coninch tamen docet benefacturum eum, qui in dicto casu, Missam relinqueret, quando aliud non sequeretur incommunicatio. Virique probabiliter, quorum fundamenta, ut adhuc pertinentia vide in nostro Opusculo de Excommunicatione c. 1. §. 6. n. 34. & 15. juncto c. 2. §. 8. n. 33.

§. III. Quando Calix, vel Hostia venem, vel sit inficitur.

1. Docet tertio quando aliquod animal, vel res aliqua, quæ Calicem inficere aliqua ratione possit, ante consecrationem in eum incidit, Visum est tendendum esse in Piscinam, & abluto calice, aliud Vinum cum aqua esse imponendum, ac saltem merite diffundendum, consecrandum, sacrificiumque perficiendum.

2. Quod si simile quid contigerit post consecrationem

nem, tum animal, quod incidit, esse diligenter abluendum, & comburendum, & ablutionem una cum cineribus projiciendam in Sacrarium sive Piscinam, (quod intelligi nisi ablutio possit à Sacerdote post sumptum sanguinem commodè sumi, hoc enim esset multo decentius, præsertim cum valde probabile sit aliquam partem sanguinis, quæ animali adhærebat ei inesse) Sanguinem verò debere sumi, si fieri possit sine periculo salutis corporis, vel vomitus, quod si horum notabile subit periculum (ut si venenum inest Calici) nullo modo debet sumi, sed vel honestè debet conservari, donec species omnino corrumpantur, & tunc mittendus est in Piscinam, vel ut alij volunt, Species stupæ, aut simili materia debent imbibiri, & permitti omnino exsicari, & tunc stupæ exsiccatæ comburenda erit, & cineres mittendi in Piscinam, Sacerdos autem debet in tali casu ablato Calici imponere novum vinum cum aqua, illudque consecrare.

Idem proportionaliter dicendum est de Hostia consecrata, si enim ea ab aliquo venenato contacta fuerit, alterum Sacerdos consecret, sumatque, illa vero servetur in Tabernaculo separatim, donec species corrumpantur, & sic in Sacrarium deponatur.

Norat hic Gavantus Rubr. Miss. p. 3. 10. num. 71. Ge. n. in prax. Neap. c. 49. ea, quæ sunt fulminata, venenata censeri. Quare cum accidisset anno Domini 1601. ut Calix à fulmine tangeretur post consecrationem, fuit dictum à Doctoribus non debere sumi, sed modo prædicto servari.

§. IV. Quando quis advenit Aquam se Calici non imposuisse.

Docet quartò, quando id advertit ante Calicis consecrationem, debere eam statim imponere. At quando recordatur post consecrationem sanguinis, quia indecens est aquam Calici consecrato misceri, nihil immorandum, sed potro esse in Sacro progrediendum. De Græcis aquam calidam post consecrationem miscendibus, vide Henric. de Euch. lib. 8. c. 12. n. 4. lit. S.

§. IV. Quando quis advenit se Aquam, vel acetum consecrasse.

Docet ibidem sive ante, sive post consecrationem id advertatur, debere Sacerdotem ea mittere in Piscinam, seu Sacrarium, & imponere vinum cum aqua, illudque consecrare.

Et Divus Thomas quidem docet, quando Sacerdos advenit post ejusdem Calicis consumptionem puram aquam (idem de aceto) fuisse consecratam, eum debere consecrare etiam novam Hostiam unà cum Calice, & eodem modo Sacrum perficere, ac si nullam antea materiam consecrasset, vel simpliciter, incipiendo ab illis verbis, *Qui pridie quam pateretur*, aut saltem à forma consecrationis corporis.

Scotus vero in 4. dist. 8. q. 3. & Navartus c. 25. n. 91. docent etiam in hoc casu sufficere consecrare Calicem multum aquæ, & vino, & statim sumere, reliquis omnibus omittis, quæ ante sumptionem fieri solent, quod ita fieri potest, ut nemo circumstantium advertat. Ut si celebrans quasi accepturus ablutionem accedat ad cornu Altaris, & Calici imponat vinum, & parum aquæ, & dissimulenter consecret, ac statim sumat, & postea sumat ablutionem.

Utraque sententia est probabilis, & in praxi excipitur utroque tuto potest: nam propterea Rubrica Missalis Pr. V. de defectu vini, n. 3. priorem sequuntur; Missalis Clementis VIII. de defectu vini, n. 5. addunt & posteriori, remque certè præsertim in præsentia populi, expeditior est, & consulenda.

Illud adverte. Primò, Sacerdotem si talem defectum agnovit, dum habet in ore illam aquam, seu acetum, non debet ea projicere, quia esset irreverentia, &

forte periculum ejiciendi aliquod fragmentum assumptæ Hostiæ. Deglutiat igitur, & posito vino consecret, ut dictum est, sumatque nihil curans, quod per illam aquam jejunium naturale frigerit, quia sic Sacramenti reverentia tunc exposcit.

5. Secundo. Si quis, vel propter ignorantiam, vel propter animi turbationem, quæ in his casibus etiam solertissimo accidere solet, quæ non supplevisset talem defectum, nullo modo debet iterum consecrare post absolutum Sacrum, quia tunc in se tam gravi non judicaretur esse idem, sed distinctum Sacrificium.

Quid si dubietur de Aceto, vel non inveniantur Vinum?

6. Si advertat, sed sub dubio Sacerdos id, quod posuit in Calice, fuisse acetum, idque post sumptionem Calicis, sibi persuadeat fuisse vinum, quia possidet substantiam Vini, & pro ipso in dubio est præsumendum. Idem puto, si in dubium incidat post Consecrationem: nè sine certo fundamento turbetur Sacrificium, ejusque ordo, & ex alia parte pariter tunc possidet substantiam vini. At si dubites ante Consecrationem, vel deponere debes dubium, vel mutare vinum ne exponas te periculo non consecrandi, quæ omnia diximus in Opusculo expedita Communionis c. 2. §. 8. n. 34.

7. Quod si non possit inveniri, vel certè difficillimè, vel cum notabili populi offensione vinum: si non est incæptus Canon, & tutius, si non est incæpta Consecratio, desistas; si est incæpta, & præsumas esse vinum, progreditor. Acetum autem illud, vel sumat Sacerdos post sumptionem Corporis, & Sanguinis, vel alicubi reverenter servet, donec liceat modo supradicto §. 3. n. 2. in simili. Immo si est certo acetum, poterit alteri cuicumque sumendum tradi, ut in simili diximus supra c. 7. §. 5. n. 3.

Quid fiet, si quid inadvertenter omittat celebrans. Et quid si Hostia frangi non possit.

De priore, quod in hoc titulo proponimus, docet Quintò S. Thomas ea quæ per occasionem jam dicta à nobis sunt supra c. 5. §. 2. n. 23.

De posteriore ergo docet Sextò, quod quando Hostia, quia prius forte cecidit in Calicem, non potest propter humiditatem, quam tota forte imbibet, frangi, (qui casus certe nunc, cum parum vini solet apponi, quod propter reverentiam semper mihi placuit) nihil erit reiterandum, sed relicta fractione, omnia dicat Sacerdos, omittendo tamen signa consueta super solam Hostiam, & progrediatur in Sacro; nihil enim substantiale in Sacrificio deest. Cum vero communicare voluerit, signans se Calice dicat, *Corpus, & Sanguis Domini nostri, &c.* Quando vero non est tota madefacta, fiant omnia consueta cum residua parte non madefacta.

Quid si Sanctissimus Sanguis effundatur, vel Hostia dispareat?

Docet Septimò, quando aliquid ex Sanguine cadit in tabulam, hanc debere prius à Sacerdote lambi, & deinde radi, sicuti etiam terram debere radi; quando in ea Sanguis decedit, & quod abraditur, debere comburi, & cineres in Piscinam condi. Quando vero stillavit Sanguis super lapidem Altaris, Sanguis debet forberi à celebrante, bene lavari lapis, & ablutio in Sacrarium effundi. Si super aliquod linteum, etiam si sit Corporale; debet ter lavari super Calicem, & ablutio (nisi vellet quis eam sumere) debet projici in Piscinam: Idem fiet, si super pannum, vel tapetem pedibus substratum, vel simile. Addunt aliqui patrem illam linteæ debere abscondi, comburi, ejusque cineres projici in Piscinam; quod licet admodum decens sit,

N 3 quando

quando illud linteum non est Corporale, aut Purificatorium, non est tamen ulla obligatio (præsertim quando est pretiosum, & solum rebus Sacris inservit) quia honori Sacramenti, per ipsius abluitionem, satis consiluit. Quis debeat lavare, dicam infra §. 8. n. 2.

2. Nota primò, pœnas olim apud S. Thom. 3. p. 2. q. 73. art. 6. injungendas ei, cujus culpa Sanguis fuisset effusus, non esse in usu; quare talis, judicio Superioris, pro ratione culpæ, puniendus est. Ante sententiam tamen nullam pœnam tenetur subire, nisi quaterus, vel ipse, vel Confessarius judicat necessarium, ut satisfiat Deo pro peccato.

3. Nota secundò, quando Sanguis ita effunditur, ut nihil maneat in Calice, tunc novum vinum cum aqua Calicis infundendum, offerendum, oblatione saltem mente concepta, & consecrandum, ac sumendum eo modo, quo supra diximus in simili §. 5. n. 1. & 2.

4. Idem propter paritatem rationis dic de Hostia: Nam si ea jam consecrata, per miraculum disparcat, vel à vento, seu animali forte subtrahatur, debet tunc alia Hostia, modo dicto, consecrari, quæ possit ad integrandum Sacrificium consumi.

5. Si quærat autem quid agendum sit, si alia Hostia haberi non possit, vel difficillimè, vel cum populi offensione (idem dic de vino.) Respondendum est cum Azor. p. 1. lib. 10. cap. 33. quæst. 6. finiri sic debere Sacrum una solum specie, ita tamen, ut juxta Rubricas Miss. de defectu vini, num. 8. prætermittantur verba, & signa, quæ pertinent ad speciem deficientem. Ratio est, quia, quod est multum difficile, reputatur moraliter impossibile, & insuper strictius est jus naturale, quam jus, quod est solum divinum. Azor. ibidem. Vetare autem notabilem offensionem plebis, est de jure naturæ, integritas Sacrificij, solum, de divino.

§. VIII. De nonnullis aliis defectibus occurrentibus in Missa.

1. Non meminit hic S. Thomas, nec consequenter Coninch, de nonnullis aliis defectibus, qui & occurrere possunt, & habentur in Rubricis Missalis, quos tamen ad complementum tractationis, nostrum erit in hoc §. breviter colligere.

Quando Sacra Hostia, vel ejus fragmenta decidunt.

Et primò quidem, quid agendum, si Hostia, vel ejus fragmentum in terram, in lignum, vel quid simile solidum cadat? Reverenter accipiat, locus mundetur, aliquantulum abradatur, pulvisque, seu abrasio in Sacrarium mittatur. Quod si ceciderit extra Corporale, in Mappam, seu quodcumque linteum, pannum, lanam, sericum, &c. diligenter lavetur, ac lotio in Sacrarium effundatur, ut in simili de effuso sanguine diximus supra §. 7. num. 1.

2. Sed quis lavabit? Certè Sacerdos: verum puto in rigore, Clericum, vel Sacristam posse, (cum par sit ratio) qui potuit supra lib. 1. cap. 2. §. 2. à num. 1. lavare Corporalia, & Purificatoria. Addo tamen id intelligi, quando est lavandum aliquid ex tactu Sacre Hostie: nam illud, supra quod effusus est Sanguis, omnino à Sacerdote, vel saltem, (si Sacerdos forte non possit) à Diacono est lavandum. Ratio est, quia per se, & semper in hoc casu est contingendus Sanctissimus Sanguis in panno imbibitus: quod non est ibi, nec in lotionem Purificatorij, in quo esse imbibitum aliquid Sanguinis est raro, & per accidens, ut diximus lib. 1. cap. 2. §. 1. num. 8.

3. Torsit olim Sacerdotem fragmentum Sacre Hostie, quod per collum cecidit in partes interioris tunice ejusdem Mulieris. Rursus, quod alia vice, cecidit in barbam viri, dum communicarent. Profectò in his casibus honestatis, & decentie ratio maxime est habenda, quod si per accidens fragmentum deperdatur, Deo

& Angelis commendetur. Potuit ergo mulier se videre, an fragmentum inveniri, & ab eodem parumper vestibus & foras modeste exponere, & ab eodem accipi possit: secus, ipsa Mulier accipiat, & in Pixidem, digitoque lavet, pro jecta in Sacrarium. Neutrum si possit, relinquatur. Imò, si hoc solus vidit parvi fragmenti casum, & probabilem fore notabilem Mulieris turbationem, vel tunc offensionem (id quod certè regulariter debet esse mulier advertatur, nihil dicat Sacerdos, sed remittens Deo, progrediatur in loco Mulieris, & cultus sacrosanctus quid de illius viri barba dicendum est, si Sacerdos modeste potest, & sine viri offensione, si mulier quid sit folliculus, tentare, vel præcipere præbarbæ lotionem, melius enim est vitare turbationem Fidei, quam Rubricarum apicem, & ejusmodi las præcipientem observare. Diana refertur p. 1. res. 10. quæ hæctenus in hoc ultimo casu, in editione scripti, sic habet. (Hæc opinio multum cet, nec enim Ecclesie Rubricæ præcipiunt, necnem Fidei, sed reverentiam, quam ipse debet vinissimo Sacramento. Ideo puto, in tali casu barbam esse purgandam, & aquam reponendam in cinam.) Hæctenus Diana. Sed lector, vel medicus advertens judicet, an idem sit dicere, quod Ecclesia præcipiat turbationem Fidei, quod à me dicitur Diana, & dicere, Melius est vitare turbationem Fidei, quam Rubricarum apicem ejusmodi cautè præcipientem observare, quod ego hoc in loco dico. Autem apicem dico, satis ostendo per epistolam per rationabilem interpretationem, casum, in quo Fidei turbatio, esse à Rubricis exceptum. Illud Diana hoc cit. approbo. Nam si cadat sanctus Christi sanguis in ipsius Sacerdotis barbam, licet decidenda non sit (quidquid non nemo doceat) tamen petita, Barthol. ab Angel. apud Dian. loc. cit. ne esse lavandam, lotionemque in Sacrarium intendam puto. Immo si in barbam ejusdem decidat fragmentum, vel Hostia consecrata, putamus judico barbam esse lavandam, ac lotionem in locum piscinam projiciendam.

Dices. At cur non lavasti barbam illius viri communicaturi, hic autem lavas barbam celebrantis? Respondeo Merito id facio, quia in illo timebatur rationabiliter turbatio, at hic in Sacerdote qui sacra steria probe novit & sæpe tractat, non timeatur. Idem facerem, si secularis ille esset tam probatus, vel esset in privato sacello, &c. quia tunc crederetur nullam, vel satis modicam turbationem fore.

Quid si Sanctissimum Christi Corpus cadat in manus Sacerdotis, Monialis, Sæcularis? Respondeo. Licet Pellizzarius, tr. de mon. c. 10. sect. 3. subsec. 1. n. 2. 1. apud Dian. p. 10. tr. 13. res. 49. loquens de manibus Monialis, tunc necessitatem lavandi, quia hoc, inquit, esset valde onerosum: tamen aio, à prædictis lavandis sibi ipsius nus esse, & lotionem in sacrarium effundendam. Ratio est, quia nullum, vel satis modicum id onus existimandum erit: nec enim manuum lotio turbationem efficit, sicut afferre barbæ lotionem, modo potavimus. Dicitur nam autem Svarij, disp. 85. de Euch. fist. 1. quæmvis Pellizzarius assert ibidem, dicentis ea, quæ in Missa proponuntur sub titulo de defectibus solum esse institutiones quasdam doctrinales, non vero speciales constitutiones inducentes novam obligationem, & institutiones quidem datas juxta doctrinam prohibentem, non tamen magis obligare, quam res ipsas, aut doctrinam, quæ eæ fundantur. Doctrinam, inquam, hæc Svarij approbo, & laudo, sed affirmo, in casu nostro de manibus reverentiam ipsam sic exposcere, cum ex alia parte turbatio nulla, nec aliud inconveniens, ut dictum est, imatur. Hæc satis: nam ex his similia, quæ facile decurrere in dies solent, ea, tu ipse decernere poteris.

Cap. VIII. De Defectibus occurrentibus 151

Quid si Sacramentum eorum contingat.

4. Si Sacerdos evolet Eucharistiam, Species autem integrè appareant, reverenter assumantur, nisi nausea fiat, secus separentur, & in loco Saero reponantur, donec siccentur, seu corrumpantur; tunc enim comburenda sunt, & cineris in Sacratium projiciendi. Sic in Rubric. Miss. de defect. occur. n. 14. Si species non appareant, & corruptæ jam judicentur, totus vomitus si, milliter comburatur, cinerisque in Sacratium immittantur. Ex quo apparet non esse audiendos Paludanum apud Gerant. in Rubr. Miss. part. 3. tit. 10. n. 6. & Sylvestrum apud eundem, ibid. putantes esse Sacrilegium Species comburi: solum enim id verum habet, si sub illis est Christus Dominus, non vero iis exsiccat, quando Dominus ibi esse desinit.

5. Adverte tamen tunc solum esse licitum ejusmodi vomitum provocare, quando cognoscit Sacerdos, quod Species à se sumptæ veneno, seu simili tabe fuerint infectæ: de qua tota re diximus in Opusculo de Expediendis Communionibus, cap. 3. §. 4.

Quando Hostia est confracta, & quantum ejusdem particula remanet in fundo Calicis.

6. Si Hostia appareat fracta ante consecrationem post oblationem (idem dic de quacunque simili macula accidentali) non est inconveniens eam consecrare, nisi forte populo scandalum sit: ut enim alia accipienda esset, & oblatione mente concepta, offerenda: de illa autem quæ fuit oblata, fiat illud, quod diximus supra cap. 7. §. 5. num. 3. Si appareat fracta ante oblationem, accipiat altera integra, si citra scandalum, vel longam moram fieri poterit, secus, eadem sine scrupulo utaris.

7. Si assumendo sanguinem, particula remanserit in Calice, digito eam ad labium Calicis adducito, & sumito, vel quod decentius est, vinum infundito, & sume: imò si sit necesse bis, ter, vel amplius vinum infundere, & sumere; id facere poteris sine timore fractionis jejuni naturalis, ut dictum est in Opusculo de exp. Com. cap. 2. §. 3. num. 38.

Quando Sanguis, vel vinum congelatur.

8. Disposit Rubrica, quod si Sanguis hieme congelatur in Calice, involvatur Calix panis calefactis, si id non proficiat, ponatur in ferventi aqua prope Altare, dummodo in Calicem aqua non intret, donec liquefiat.

9. Sed quid fieri si Sanguis congelatus etiam adhibito igne liquefieri nequeat? vel quid, si ne ignis quidem haberi possit, vel quæ disposit Rubrica, cum notabili offensione populi, fieri deberent?

Sunt de Sacram. disp. 8. §. 1. §. Tertio accidere, rectè simili in casu monet, ut digito reverenter comminuat: nam sic in particulas redactus assumi poterit: Si pars Sanguinis valide congelata, pars verò liquefacta sit, sufficit hanc liquefactam partem assumere, illam verò, ut potest deglutiri.

10. De congelato vino aliqua sunt declaranda. Primo, si vinum congeletur, licebitne illud consecrare? Dico nequaquam (saltem ex congruentia) licere, quia est contra consuetudinem. An sit peccatum dicam, mox.

11. Adde nonnullos dubitare, ut mox dicemus, an vinum sic affectum sit apta consecrationis materia. Apponatur igitur aliud, cum non expedit illud vitæ solvere, & consecrare, quia aliqui putant per consecrationem vinum substantialiter fuisse corruptum, id quod licet falsum ex meliorum sententia sit, ut mox videbitur, tamen ob reverentiam Sacramenti, si aliud vinum commodè potest haberi, non est cur hoc illi non preferatur.

12. Secundò, Si dum actu congelatum existit, con-

secraretur, validè consecraretur, quod est quætere an num actu congelatum sit materia consecrationis?

Validè consecrari, meritò docent Vasquez, Suarez, Coninch. Laym. alique apud Hurtadum de Euch. disp. 2. diff. 9. Invalidè tenent Henriquez, Ledesma, Alanus, apud citatum Hurtad. & alij. Ratio horum est, quia putant vinum per congelationem, semper vel ferè semper, substantialiter corrumpi. Ratio illorum est, quia falsum est per congelationem ordinariam substantialiter corrumpi vinum, sicut non corrumpitur aqua, alique humores. Cujus rei clarum signum est, quod deinde liquefactum adhuc, quamvis aliquantulum remissè, eandem habet qualitates, quæ prius, saporem, virtutem, imò, & frequentissimè, colorem.

13. Obijciunt primò, vinum congelatum non est actu potabile. Secundò, aqua congelata non est apta materia Baptismi: ergo nec vinum congelatum est apta materia Eucharistia. Tertio, n. 4. quia non est proxime potabilis, non est materia consecrationis: at vinum congelatum non est proxime potabile, ergo, &c.

Respondemus ad primum. Satis est si vinum congelatum, sit ex natura sua potabile. Ad secundum, Aqua congelata non potest facere lotionem, quæ est proxima Baptismi materia, &c. Ad tertium, uva non est vinum, idcirco nec materia. Vide fœsus apud citatos.

14. Tertio. Si vinum congeletur ante consecrationem, nec aliud liquefactum haberi commodè potest, relinquendæ est Missa? Dico si processum solum fuit usque ad Canonem exclusivè satis esse relinquere, imò, si opus sit, populo de defectu, ad ejus offensionem advertendam: at si inceptus fuit Canon, progrediendum porro est, quia Canone incepto, censetur inceptum substantialiter Sacram, unde cum probabilissima sit opinio tale vinum esse aptam materiam consecrationis, non apparet ratio, cur Sacrificium relinquendum sit imperfectum, at verò ante Canonem, cum sit incepta substantia Sacrificij, consultius erit Sacrificium ommittere, quam inconfecta illa materia uti. Vide tamen, quæ mox dicam num. 15. De vino alio congelato si oblata fuerit, fiat illud, quod supra diximus in simili cap. 7. §. 5. num. 3.

15. At quo peccato delinqueret, qui sine prædicta necessitate, sed tamen sine contemptu vinum congelatum consecraret? Coninch de Euch. quest. 74. art. 5. n. 127. docet peccare mortaliter, his verbis, Graviter tamen peccaret, qui vinum congelatum consecraret, ut omnes fateantur. Sed profectò non omnes fateantur. Satisque sit, ad destruendam hanc universalem; quod non fateatur Vasquez de Sacram. disp. 175. cap. 2. n. 18. Is allatus approbatè ab Hurtado de Euch. disp. 2. diff. 9. sine, docet non esse peccatum in vino congelato consecrare, quamvis sit contra consuetudinem Ecclesiæ. Et ratio est (inquit Hurtadus) quia nec est contra prohibitionem aliquam latam, nec contra consuetudinem, quæ servetur ut necessaria, & obligans.

16. Atque ex hac fortasse sententia motus Layman. de Eucharist. lib. 5. tract. 4. cap. 2. num. 6. docuit si vinum post oblationem advertatur modicè congelatum, ut facile resolv. possit, nullaque appareat accidentium mutatio, consultius fore, si illud consecraretur, quam si mutetur: id quod ampliat quod modo diximus n. 13. quia communiter in tam parva mora non solet in Calice tam fortiter & pressè vinum congelari, ut in materiam ineptam abire possit.

Quid fiet, si Sacrificium desit Hostia grandior, suppetant tamen particula.

17. Rusticabar enim cum collega meo P. Stephano Turtureti, in nostro prædio Messanen. ad lectiones Theologicas in vacationibus Autumnalibus, de more, peritiorum prævidendas. Semel ergo cum dictus P. ad Missam faciendam, omnium Sacerdotum ibidem commorantium, postremus accederet, Hostiamque grandior

diorem nullam inveniret, ac de ea, ob distantiam Civitatis, providere sibi posset, ne eo die, tametsi festæ Sacrificio privaretur, parvam formulam, quæ in promptu fuit, sine ulla hæsitacione, ad Sacrificium adhibuit. Affuerunt statim ad me juniores quidam, qui, & ipsi tunc rui aderant, interrogantes, an id à Patre, nulla præsertim existente, præter ejus devotionem causa, factum ritè fuerit. Respondi, ipsos, ritè gestum id esse, & eo solum sibi persuadere debuisse, quod Pater ejusmodi, tantæ scilicet doctrinæ, tantæque virtutis id effecit. Ita supponit ex Marchantio, Diana *part. 5. tract. 14. ref. 96. §. Sed non deferam.* Ratio, dicebam inter ceteras, est, quia nec ullum præceptum adest, nec ullam constare esse consuetudinem, ut obligantem de consecrata Hostia majore, vel minore; utrobique enim Sacrificium æquè perficitur. Quod si gravis offensio aliqua imperitorum aliquando timeatur, facile de rei veritate instrui poterunt: & in casu nostro, sine ulla expressa instructione, una ipsa Patris autoritas id facientis, ad offensionem illorum, qui viderant, quaque universi hominis doctrinam, integritatemque probe noverant, avertendam, satis superque fuerat.

*An celebrans possit assumere parvam formulam, & grandio-
riorem reservare?*

17. Sed ecce tibi aliam quæstionem. Si id licet, licetne Sacerdoti assumere Particulam parvam, & grandio-
riorem conservare in Pixide, ad illam y. g. exponendam in Oratione quadraginta horarum, si forte alia grandior haberetur, ad hunc finem, non possit?

18. Dico esse distinguendum. Vel enim hic Sacerdos consecravit in ea Missa, tum particulas parvas, tum Hostiam grandio-
riorem, vel solum consecravit ipsam majorem, invenitur tamen parvæ præconsecratæ in alia præcedenti Missa. Si prius, licet Sacerdoti parvam sibi sumere, & majorem reservare: si posterius, non licet. Ratio est, quia Sacerdos debet communicare de suo Sacrificio. Nam, ut habet *Textus, cap. relatum 11. de consecr. dist. 2.* (vide quæ diximus *lib. 2. Opus. de exp. Com. cap. 6. §. 6. num. 31.*) *Quale erit illud Sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscatur?* quod facit in casu priore: non vero in posteriore.

19. Hinc aliqui Parochi, dum renovant Eucharistiam, si consumunt Hostiam ab alio præconsecratam, eam verò, quam ipsi consecrant, reponunt in Sactario, ritè nequaquam faciunt, suntque ab Episcopis, & à Doctoribus corrigendi. Objicis. At Henriq. & Fagund. apud Delugo *max citandi* asserunt fieri id licitè posse. Respondeo. At Delugo *apud eundem de Euch. disp. 1. §. 9. sect. 4. n. 76.* alii-
que apud ipsum, qui quæstionem hanc solidè tractant, hos parum Theologicè, & contra omnes Doctores de hac re esse loquutos, merito probat. Lege etiam Dianam *part. 5. tract. 13. ref. 95.*

Dices. At jam participat de suo Sacrificio, dum participat de eodem Christo, quæ est Hostia eadem in omnibus: nam propterea si occurrat mori celebranti, facta consecratione, potest, imo debet alter Sacerdos Missam absolvere, & præconsecratam ab alio Hostiam consumere: Die item Parasceve alius Sacerdos potest consumere Hostiam ab alio die præcedenti consecratam.

Respondeo in priori ex dictis casibus, quos urges, adest summa necessitas perfectionis Sacrificij, in posteriore adest dispensatio Ecclesiæ. Nos autem non asserimus illud esse contra omnimodam Sacrificij integritatem, sed esse contra morem, & ordinationes Ecclesiæ volentis juxta ipsius Sacrificij requisita, ut Sacerdos participet de Sacramento à se consecrato: ipsa vero in hoc solum dispensavit, urgente illa necessitate, & stante illo Passionis Dominicæ mysterio exhibendo, non autem stantibus aliis levioribus occasionibus, quales ceteræ sunt dicti casus expositionis, & renovationis Eucharistiæ, quorum primo facile occurrere potest, exponendo in

Pixide, seu Sphæra parvam Hostiam existentem in Sactario; secundo autem, consecrandi aliquot Particulas cum Hostia majore, hac enim assumpta, & assumpta venteribus formulis reservari in Sactario recentior celebratè ritè poterunt.

An celebrans possit elevare Hostiam non à se consecratam.

20. Suboritur item alia quæstio. Quidam in sua Missa ob prædictum grandioris Hostiæ defectum, consecrant parvas particulas; timens autem populi offensionem, in elevatione Sacramenti consueta, elevavit ob hanc cautelam, Hostiam grandio-
riorem præconsecratam, quæ forte in Sactario pro Oratione 40. horarum, servatur. Queritur an id ritè factum fuerit?

21. Marchantius, negat id esse ritè gestum. Constat tamen Diana *ibid.* citans March. Cum enim (ait) a Missa debeat exhiberi populo adoranda eadem Hostia quæ in ea Missa consecratur, & offertur, talis cautela prædictæ Sacerdotis approbanda non est: *Melius tamen non prædicto fecisset (addit Marchantius) si majori ipsi Hostiam parvam parvam per illud Sacrificium consecratam junxisset, quod facile poterat, exhibendo utramque adorandam.* Hæc ille.

22. Profecto sunt hominum ingenia diversimodum approbandam hanc posteriorem Marchantij cautelam, quam priorem illius Sacerdotis *n. 201. dist. 2.* quæro enim quodnam præceptum arguit, vel quæ consuetudo ostendendi eandem Hostiam adorandam, quæ in eadem Missa consecrata fuit? Fatetur ita esse observandum, cum Rubricæ semper supponant eandem, quam consecravit, debere Sacerdotem populo veneratione elevare: at intercedente causa, qualis in casu nostro satis rationabilis apparet, ne cogatur Sacerdos populum insultare, qui fortasse de offensione minoris Hostiæ sensus fuisset, vel quid simile, non video cur talis Rubrica solum directiva negligi sine culpa non possit, nec autem in omnibus similibus directivis, quando ad id talis talis negligendi causa, ut ex supradictis *cap. 1. §. 2. cap. 2. §. 1.* potest, jam superfluum erit politum: illud remedium conjungendi parvam cum Hostia grandiore. Adde hoc posterius esse saltem implicite, cum vel extra Rubricas, per quas nunquam ostenditur, una grandior Hostia, quare tu, conjungendo deus, non facies juxta Rubricas, ego ostendendo præconsecratam nec facio juxta easdem, ergo pares sumus, ergo saltem non erit unum altero consultius.

23. Illud esse probandum nullo pacto est, quod quidam Parochi, dum ei Hostia grandior consecrata non suppetere, ad eam exponendam in oratione quadraginta horarum, imprudenter egit. Parvam enim consecratam Hostiam affixit Hostiæ grandiori non consecratæ, & ita simul exposuit, ne scilicet parva summula sphaerula appareret populo, qui Sacerdotem de ingratia præparandi majorem reprehendisset. Hoc quidem non est probandum, quia esset periculum idololatæ, quamvis materialis, (cum fideles adoret totum illud, quod expositum est per modum unius) quod nullo modo licet, ut in simili de Parocho ostendente Particulam consecratam, & deinde ministrante peccatori oculis Particulam non consecratam, dictum est in *Opus. de exp. Cum. cap. 2. §. 2. n. 12* & videri potest apud Delugo *de Sac. disp. 8. sect. 1. n. 188.*

Quando disparat Hostia consecrata, nec alia consecrata haberi possit; Quid melius, abire sine communione Corporis, an assumere præconsecratam?

24. Denique decernamus, si quando disparat per miraculum, vel ab animali, seu vento auteratur Hostia consecrata, cum dicitur missa, nec haberi possit alia, five parva, five magna (quæ certè si possit haberi, consecranda ad integrandam Sacrificium omnino est), si

Cap. I X. De Defectibus occurrentibus. 153

supra vidimus) si, inquam, id occurrat, & sint in Sacra-
rio repositae particulae praefecratae, quid fiet melius,
nam particulam ex his praefecratais assumere, an
Missae finem imponere cum sola Sanguinis consum-
ptione?

Puto melius esse, si Sacrificans assumat unam ex praefec-
cratis. Ratio est, quia, cum omnes Sacerdotes sint
Ministri representantes unum Christum Dominum
Sacerdotem principalem, & omnes Hostiae consecratae
contineant unum eundem Christum, ipsamet Hostiae
consecratae ab alio Sacerdote, habent aliquam tandem
rationem, & habitudinem ad hunc Sacerdotem, atque
ad hoc Sacrificium: quare, in hac necessitate, conve-
nienter faciet Sacerdos si assumat praefecratam, quae
quasi, aliquo modo, propter dictam habitudinem, ad
praefens Sacrificium pertinet, eiusdem complementum
esse potest.

25. Dixi (in hac necessitate) nam quamvis dicta con-
venientia videatur probare, id etiam fieri posse, sine
necessitate: si enim praefecrata ad me nunc Sacrifi-
cium pertinet, possem consumere indifferenter illam,
relinquendo eam, quam ego consecro, cujus contrarium,
hactenus docuimus: tamen, omnibus consideratis,
id non probat: siquidem tum propter usum Ecclesiae,
certe gravem: tum propter Sacros Canones cap. Rela-
tum. 12. de consecrat. dist. 2. & passim Rubr. Miss. di-
sonantes, ut quilibet Sacrificium suum consumat: tum
et natura ipsa Sacrificij, cujus est offerre simul, & con-
sumere oblatum, non possumus ample, sed strictè, in
solo nimirum necessitate, ad dictam convenientiam re-
currere.

CAPVT IX.

De externa recitatione Missae.

§. I. De dicendis elata voce.

1. **Q**uæ, voce alta praefcribuntur dicenda in Missa,
ita recitanda sunt, ut astantes commodè audire
possint. Si quis tamen ita voce depresso recitet, ut ij di-
stinctè audiant, licet non ritè faciat, tamen non est con-
demnandus de mortali, etiam die festivo de praepcepto,
quod quid sentiat Navarrus apud Sà, v. Missa num. 50.
Ratio est, quia ex una parte non constat de praepcepto,
nec de consuetudine obligante, immo video etiam à ti-
moris passum voce omnino depresso Missam sine scrup-
ulo recitari, & ex alia astantes non obligantè audire,
sed solum interesse devotè Sacerdoti. Ita Delugo de Eucha-
rist. lib. 2. sec. n. 1.

§. II. De secretis voce submissa dicendis.

Docet, Valentia, Medina, Azor, alique quos
debet, & sequitur Castrop. t. 2. d. 2. de orat. p. 3. n. 6.
praefecrata esse verba à Sacerdote, dum secretè orat,
in Missa, ut saltem à seipso audiri possint. Verum si id
affirmes tanquam omnino necessarium, non est legiti-
me dictum: si enim ita formentur verba ut sonus vocis
extra labia prodeat, quamvis non sit aptus ad vellican-
das aures, nemo dicet non satisfieri obligationi, quia
tum exhibetur oratio vocalis. At si id affirmes, quasi si-
gnificans, si ita proferantur verba, ut ad proprias aures
pertingere possint, securum esse Sacerdotem de legitima
pronuntiatione: rectè dictum est, si enim quis ita vocem
formet, ut ipsemet eam audire possit, sine ulla dubitatio-
ne vocaliter orat.

2. Regula igitur melior, & benignior ea mihi attri-
bet, quam asserit ex Navarro in Comm. in 2. p. Decret.
cap. 9. de orat. num. 88. possumus praedicta scilicet Missae
secretæ, ut etiam Horas Canonicas, posse recitari sine
expessione verborum, quæ ab alio, vel à seipso audiri
possunt, sed sufficere formare verba inter labia, & den-
tum. Ratio regulæ est, quia sic formata verba, voces

essentialiter sunt, atque adeo sufficiunt ad orationem
vocaliter junctam in cap. Dolentes, de celebr. Missar.
non enim assentior aliquibus cum Castropal. ita o. cit.
ibid qui dicunt eivmque voces esse potius inchoationes
verborum quam verba sunt enim, ut dictum est, verba
vocalia quantum scilicet ad praepceptum observandum
sunt necessaria.

§. III. Privilegium Religiosorum circa praedicta.

1. **C**oncessit Leo Decimus vivæ vocis oraculo orat.
12. apud Bullarium Rodriq. Minoribus sequens
privilegium. Quod nihilominus aliqui affirmant, in
Resp. l. 3. dub. 17. non fuisse merum oraculum, sed illi ac-
cessisse signaturam Pontificis Et similiter placeat Sancti-
tati vestrae, ut ne fratres mutuo se impediant in O ficio divi-
no, aut alijs sint fastidiosi, quod illa, quæ in Ordinario in-
bentur dici secretè sub silentio, tam in Horis Canonicis,
quam etiam Missa, non teneantur proferre vocaliter, sed
satisfaciant dicendo mentaliter, aut legendo intra se per
librum, quia alij devotius sic dicunt & absque impedimen-
to, & fastidio aliorum, & eodem modo possunt facere, qui
dicunt Officium per se solus, cum prolatio verbalis sit prae-
cipue, ut ab alijs intelligatur. Et infra n. 23. Omnia prae-
scripta, ut fuerint petita, à prefato Sanctissimo Domino no-
stro fuerint concessa.

2. Nota autem primò, minus rectè Scottiam in Constit.
Theor. 322. docere Leonem Decimum concessisse solum
ut submissè dicerent, alias posset consecrari mentaliter.
Non rectè, inquam, nam expresse concedit Mentali-
ter, Consecratio autem semper intelligitur exclusa ex eo,
quod sit consecratio Sacramenti, quod constare debet ex
rebus, & verbis.

3. Nota secundò, privilegium esse pro omnibus,
etiam non scrupulosis, etiam de toto Officio, quod
privatim recitari solet, etiam de ipsis partibus Missae
Cantatae, quas Sacerdos, submissa voce, legere per Ru-
bricas debet. Patent hæc ex verbis jamjam allatis Privi-
legij; quidquid alij contradicunt.

Nec obstat illud, quod in Ordinario inbentur dici se-
cretè quasi verò non omnia secreta Missae, & totum
Officium. Non obstat, inquam, quia, quæso ite, quid
aliud est illa Missa, quod inbentur secretè dici in Ordi-
nario, hoc est in Rubricis Ordinariis, nisi secreta ipsius
Missae omnia: De Officio autem, licet fatear aliqua in-
beri secretè dici, non omnia: tamen ex verbis illis, &
ne alijs sint fastidiosi, & ex illis universalibus, Qui dicunt
Officium per se solus, cum prolatio verbalis sit præcipue ut
ab alijs intelligatur, & ex toto contextu Privilegij, sine-
que cur fuerit impetratum, satis clarè colligitur, sermo-
nem esse de toto Officio.

Non tertio, quamvis hoc privilegium participet
Nostra Societas, id tamen in usum deducere non po-
test quia nondum illud ei communicavit noster R. P.
Generalis, ut alias in similibus supra lib. 1. cap. 2. §. 1.
num. 8. monui: possumus verò alij Mendicantes, parti-
cipantesque in eorum privilegijs, quia suppono illis ni-
hil esse in hoc restrictum à suis Generalibus, nec revo-
catum.

Lege Delugo lib. 3. resp. dub. 17. qui satis strictè hoc
Privilegium interpretatur, & Dian. p. 10. tr. 11. Resp. 1. qui
fere omnino reitit. Quo autem rationum pondere, sal-
tem loquendo de officio, pro quo adsunt illa universa-
lia verba. Qui dicunt officium per se solus, expendant me
sapientiores. Certè mihi favet Baldellus tom. 2. lib. 3. de
adorat. ad 55. num. 16. olim Romæ Praeceptor in Theolo-
gicis meus, qui intelligit hoc Privilegium de toto offi-
cio; & solum admittere illud tenuit ex eo capite, quod
putet esse ex vivæ vocis oraculo, quod tamen, fuisse
cum signatura Pontificis ex aliquorum sententia iam vi-
dimus n. 11. Nostram prædictam opinionem sequitur, &
Juribus probat Sanctior apud eundem Dian. p. 8. tr. 7.
Ref. 58. & novissime late nostram sententiam probat
Tho. Hurt. p. ref. mor. tr. 3. a. n. 40.

LIBER.